

Mercatura Theologica,

IN CUJUS FORO

*Unica merx emitur preciosissima, eaq³ saluberrima
& utilissima*

JESUS,

MARGARITA ILLA COLORE CANDIDISSIMA, VALORE
maxima, virtute præstantissima, & usu
perpetuo longè aptissima,

Quam

Omni copiarum genere abundantissimus NEGOCIATOR,
imò quorumvis Negociantium Creator & Gubernator potentissimus,
DEUS ter Opt. Max. per ministrum suum fidelissimum Evangelistam
MATTHEUM in scenæ ejus cellula 13. verbis commendat dulcissimis;
omnibus Christianis; ut spiritualibus Margaritarijs emendam, &
in cordis sui cochlea custodiendam (modo æternas velint
acquirere divitias) exponit hominibus,

CARMINE ELEGIACO EXHIBITA ET DEDICATA,

*Dignitate prudenti, Autoritate præstanti & judicij dexte-
ritate effulgenti Amplissimis & Spectatissimis*

VIRIS

Dn. Consulibus, Camerarijs &

cæteris Reipub. Mariæbergensis Senatoribus,

*Mæcenatibus & Promotoribus olim suis, etiamnum Fautoribus
summo observantiæ studio prosequendis*

JOHANNEM MEINERUM, Thumâ-Hermunduro, ejusdem
Negociationis Theologicæ Studio,

A N N O

EVge! nostr! CorDis JesVs est sVaVIs Margareta.

G R I P H I S V V A L D I Æ, Imprimebat Iohannes Albinus.



M Em! mea Musa veni, Phœbi properemus ad arcem,
 Fons ubi promanat Bellerophontis equi.
 Ut mea præcingat viridanti tempora Lauro,
 Tradat & Aöniam Calliopeja Lyram.

Carmina grandifono valeam contexere versu,
 Tristia suaviloquis corda levando modis.
 Nam mea mens gaudet scripturæ visere campum;
 Cujus gemmiferis fontibus unda rubet.

Matth. 13. Scilicet inquiram, quis candidus ille Lapillus,
 De quo M A T T Æ V S dulcia verba sonat:
 Ejus cum reliquis quæ convenientia Gemmis?
 Qui? quo solviffe hunc institor ære queat?
 Quicquid & usuræ sese sectantibus addat?
 Carminis hæcce mei meta sequenda feret.

Obruat exiguam sed ne raucedo loquelam,
 Tangere pauca libet, quæ dabit ordo sequi.
 Ad quod concedat J E S U S nostri U N I O cordis
 Vires, ut linguæ verba sacrata fluant.

H o c sine namq; valent nil Gazæ, nilq; labores:
 H o c sine nil dives G E M M A valoris habet:
 H o c sine non potis est ullum succedere factum;
 H o c sine non vigor est: H o c sine lingua filet.

Matth. 13. Principio constat, sit vividus U N I O C H R I T U S,
 De quo sermones Biblica lingua facit.

Apocal. 21. Denotat hoc V A T E S mysteria diæ revelans,
 Ac sanctæ S O L Y M Æ cælica facta notans.
 Cujus portarum bis sex sunt claustra L A P I L L I S,
 Nec non M A R G R I T I S quælibet aucta suis.

Iohan. 16. Urbis at illius nulla est, quàm J A N U A C H R I S T U S,
 Cælicæ ut est A Q U I L Æ testificata manus.
 Q u o sine non ullus potis est accedere P A T R E M,
 Auxiliatricem porrigat ille manum:

Genes. 28. I P S U S & ætherei firmissima scala Theatri,
 Quâ nos per veram scandimus astra fidem.

EST



Est quoq; rejectus L A P I S ædificantibus olim,
Qui structæ summum sustinet arcis opus :
Hic est ille L A P I S quovis preciosior auro,
Quem credens animo gaudet adire pio.
Scilicet ille L A P I S firmissimus arce Sionis,
Qui medium semper sustinet ipse locum.
Q U I, ceu concha maris tractis ex aère guttis,
G E M M A M mirificè concipit atq; parit :
Cui Pater est nullus, nisi cœli arcana potestas,
Nobiliorq; suo semine matre sua est :
Sic quoq; terrenæ de sanguine gutta puellæ
Concepit Sancto Flamine foeta D E U M.
Sic de Patre D E O, D E U S & de virgine matre,
Natus Homo est, unus germen utrumq; gerens.
Ceu ex M A R G R Î T I . fortis medicina paratur,
Languentis cordis quæ mala cuncta lenit,
Atq; suâ vires reddit virtute priores,
Æger ut hinc fiat sanus ut ante fuit :
Pectoris & nostri nomen medicamen I E S U,
Quod longè superat nobile nectar apum :
Morbos infirmo pascentes corpore vires
Dulcius hoc nomen stat medicina fugans ;
Si miserum tristis fortuna tenaciter urget,
Hoc nomen J E S U dulce levamen adest.
Ex G E M M I S alijs medicina parata minutis,
Quæ lachrymosa prius, lumina clara facit :
Nil minùs & C H R I S T U S removet velamina cordis,
Posthac ut nitidi Solis ad instar agat.
Judicis injusti contusus sede Pilati ;
Expressit guttas sanguinis ira P A T R I S :
Affixis brachijs & plantis arbore pendens,
Exhibet innumeris membra minuta plagis
Debilis ut fidei fiat medicamen ocellis,
Et mentes cæcas purificare queat.
Nec non proprietates reliquis velut insita G E M M I S,
Pectore quod virus, sive aconita fugent :

▲ 2

Hanc

Psalm 118.

Esa. 28.

mody

Hanc quoq; virtutem cœlestis J A S P I S I E S U S

Exerit, & Sathanae dira venena levat.

Rom. 8.

Amplius inde nihil quò sit damnabile in illis,

Quorum hæc salvificans G E M M U L A corde micat.

Ut possessores G E M M Æ cum fœnore ditant,

Divitias Crœsi quò superare queant:

Sic qui M A R G R Î T A M tenet hanc in fornice cordis,

Omnes totius possidet orbis opes.

Et precio magno licet U N I O quisq; habeatur,

Vix tamen est tantus ferrier ut nequeat:

Sic D E U S immensus, quem prendere machina mundi

Non valet, in cordis vult habitare domo.

Ac quo fiamus cœlestes deinde Dynastæ,

Rex Regum & Dominus sponte minister adest.

Si crebrò occulitur velamine Solis imago,

Effusisq; gravis decidit imber aquis.

Ac indignatur magnis stridoribus æquor;

Fluctibus exurgens tangit arena polum;

Magna sub æquoribus G E M M A R U M copia restat,

Quas Margriferum quæritat inde cohors:

Sic & in adversis J E S U S bona G E M M A procellis

Proxima Christicolis est magis usq; micans.

Hanc igitur puro sectantur pectore G E M M A M

Veræ Ecclesiolæ singula membra pia.

Olim quæ superum gaudent statione locari,

Gaudia quâ nullo deperitura die.

Ipfus ut alloquitur quosvis per verba Prophetæ,

Esa. 55.

Cujus docta movet talibus ora fonis:

Tendite perceleri pede, currite, adeste, venite,

Segnis & inceptum non mora tardet iter;

Aspera quos rapido miserè sitis urget in æstu,

Mox pedibus levibus carpite, quæso, viam.

Ex me salvificis sedate fluentibus undis

Ardorem cordis; pellite quisq; famem.

Rebus in augustis tristis quos urget egestas,

Cuiq; deest munus, seu miser ære caret.

Acci-

Accipiet gratis, jejunia pellere promptus,
Et cordis ravidâ labra levare siti.

Ergo ne dicas, non sunt rubra pondera Croesi;
Sed mihi perpetuus dura Penia comes.

Qui potis ipse ero tantas ego solvere merces,
Cyllenidique pari sacrificare modo?

Non opus esse solet rutilos hic solvere nummos,
Ceu pretium pretio reddere lance pari.

Tu modo *funde preces ex puro corde retorsas,*
Quis multum præstans hicce licetur onyx

Acceditur vero veræ pietatis amore;

Accipiturque fide: solvitur ore sonis.

Talibus aut forsitan gaudes insurgere dictis:

Cur bona SALVATOR vendere cuncta jubet?

Et pretio æquali pretiosam solvere Gemmam?

Nonne prius dictis dimicat hocce datis?

Sed mihi præbe aures, qui talia mente revolvis,

Accipiens verâ verba ferenda fide,

Hæc duo quod stricto nolint concurrere ferro,

Si modo percipias quid sibi dicta velint;

Munera tanta DEUS solcat quia tradere gratis

Cunctis, credenti qui benè corde petunt;

Atque ad vendendum quasvis exponere fruges

Arboris, horti, agri, quicquid opumque tenent.

Sunt igitur dicti verissima sensa prioris;

Viribus ex proprijs nil mereatur homo.

Et quæ possideat, sint summi dona Monarchæ;

Sint bona fortune, corporis atque animi.

In primis vivi quæ nos ad frigora FONTIS

Deducunt, vires dat manus alma DEI.

Quâ sine non ullus radiantia fertur ad astra:

Quâ sine nil toto quicquid in orbe, valet.

Ergo nil proprii ditissimus occupat ullus;

Sed domini à dextra cunctipotentis habet.

Cum verò CHRISTUS pretiosas spernere mandat,

Quas tua divitias, continet ampla domus;

Non ipsi mens est tales injungere sensus,
 Ac valeant tantis hæ lytron esse bonis;
 Sed quod posthabitis diuturna petenda diurnis:
 Cœlica mundanis anteferenda sient.
 Et si res jubeat bona cuncta relinquere mundi,
 Præstet, quàm summo deinde carere bono.
 Solum quod servat, quod perficit omnia solum;
 E cujus pendet pondere nostra salus.
 Fòrs tamen extremos opus est mihi currere ad Indos,
 Pergis, & ignotas accelerare vias.
 Quò miser occurram facientibus æquore prædam,
 Et subito priver vestibus, ære, bonis
 Aut me submergant stridentibus æquora ventis,
 Cogar ut extremo claudere fata die;
 Seu cor funestis instructus Latro rapinis
 Ferro transfoderet, seu fera dira necet.
 Et licet illæsus quævis evadere possim,
 GEMMULA quo lateat non tamen ipse sciam:
 Ceu me præveniens ILLAM sibi sumeret alter,
 Sic ego frustratus cogerer ire domum.
 Nil horum timeas, cum MEX hæc proxima cunctis,
 Qui quærunt puro corde, animoq; pio.
 Namque in salvificis sancti latet æquoris undis:
 QUAM verbi Domini concha sacrata tenet:
 In sacramento se hic exhibet UNIO Cœnæ,
 Quærentique fide tempus in omne patet.
 Attamen intereà grandis licet ira Latronum
 Terrenùm fugiat te; Satan ater adest.
 Instar Prædonis qui limina pectoris ambit,
 Et vult thesauros eripuisse tuos.
 Non decet ergo minus quasvis vigilare per horas,
 Hic clauso maneat fornice cordis ONYX
 Sic benè perfacilis poterisq; fugare Satanem:
 Hic LAPIS ornatus sic tibi semper erit.
 Quantas infomes Mercator ducere noctes
 Non renuat, quærens pauca caduca soli!

Syrach. 14.

Ab

Ah quantas curas impendere cernitur ultrò!
 Quantas & casus! Quanta pericla subit!
 Impiger extremas pelagi dum currit ad oras,
 Et dat nubiferis lintea plena Notis.
 Sæpè ubi permixto miscetur murmure pontus,
 Undis incandens: pax modò ficta maris.
 Attolensq; suas irato gurgite moles,
 Aufugit arreptæ semita certa ratis:
 Mox suspensa polis, dejectaq; jungitur arvis,
 Terrarum ac cœli culmina & ima sequens:
 Naufragium patitur nigro sub sidere cæcus,
 Et fundo clauso mortis imago patet.
 Ac licet interdum fugiant fasto æthere nimbi,
 Et freta stridenti murmure tuta sient;
 Πειρατῆς medio venatur in æquore puppes,
 Prædando vetitas dum sibi quærit opes.
 Quo cum Mercator confluere sæpè tenetur,
 Merces ereptas nî velit ipse suas.
 A quo devictus diro mucrone necatur,
 Flumine sub vitrico piscibus esca manens.
 Alter non notâ fertur regione viarum,
 Magnificis opibus Laomedontis hians,
 En! prædator adest funesto pectore grassans,
 In cuius casses præda petita cadit.
 Nil tamen id faciens argenti cæcus amore,
 Horrendæ ob lucrum fulmina mortis adit.
 Ah quanto studio LAPIDES piscatur anhelat,
 Quos fundum mergit cochlea tarda Sali!
 Cui, nisi sit cautus, digitos Testudo remordet,
 Ejus ubi GEMMAS surripuisse cupit.
 Cur ergò nolis quicquam impendisse laboris,
 Accipias GAZAM, quæ tua corda beat?
 Ἐμπορῶ hancce gerens mercem extat ditior omni,
 Quam neque Piratæ; nulla Laverna rapit:
 Cui non ærugo & tineæ dominantur edaces;
 Sed benè tuta latens tempus in omne manet.

Matth. 6.

Et

Et sibi perpetuum pia pectora fixa reservat,
Ac possessorem dat requiete frui:
Lucrum millicuplum gaudens largirier illi,
Cujus eam clausam cochlea cordis habet.
Hanc mihi præ reliquis preciosam seligo mercem,
Quæ me divitijs accumulare valet.

Psalm 4.

Mittens cunctarum sequitur quos copia rerum,
Quas DEUS ipsorum venter amare solet.

Qui replent multas generoso nectare cellas,
Auro & congesto gaudia mira canunt.

Cordis thesaurus thesauro prævalet omni,

Nec voti vacuum spem finit esse piji:

Firmat securam firmo mihi robore mentem,

Ne Prædo stygius me ~~rememorare~~ queat.

retinere

Sed mea quò pergis, mea Musula lasca? reflecte,

Fontes pierios claudere Phœbus adest.

Nunc sat dives eris, mittens tua membra quieti;

Curæ te fugiunt, & timor omnis abit.

Psalm 3.

Nil igitur metuas vel centum millia, quamvis

Torvi Latrones in caput arma ferant:

Splendida nil facias irritamenta malorum,

Cùm magis impediunt, quàm bona promoveant.

Sis licet ære carens; sis quovis divite spreta,

Es tamen à summo magnificata DEO.

Qui te ditabit, Cœlorum & in arce beabit,

Mundi ubi magnificas ignis habebit opes.

Intereà recreans pellucidus UNIO cordis

Sis JESU, in cujus sunt mea fata manu:

Rebus in adversis mellitum Pharmacon adsis,

Virtutes ævum sic celebrabo tuas:

Omnia sic vendam quæ - me bona - cunq; sequuntur,

Neglecto, quicquid Pontus & Orbis habet,

Te modò possideam: Te pectoris ambiat arcè

Cochlea, dum Parcæ mitia fila trahunt.

Ad quod me dones Sancti spiramine Flatus;

Sit mihi principium: sit mihi finis, Amen.

oo)o(oo

Mercatura

IN Cuj

Unica merx emitur prec

& uti

J E S

MARGARITA ILLA COLOR

maxima, virtute p

perpetuo lor

Omni copiarum genere abund

imò quorumvis Negotiantium C

DEUS ter Opt. Max. per ministr

MATTHEUM in scenæ ejus cell

omnibus Christianis; ut spiritu

in cordis sui cochlea custod

acquirere divitias,

CARMINE ELEGIACO

Dignitate prudenti, Autori

ritate effulgenti Amp

VI

Dn. Consulibu

cæteris Reipub. Maria

Mecænatibus & Promotoribus

summo observanti

JOHANNEMEINER

Negotiationis T

A N

EVge! nostri Cordis Je

GRYPHISVVALDI

